

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput XXIX

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

separationem decocta simul cum jure teratur, Solique ita per triduum exponatur, & subtili linteolo oculis applicetur, asperitatem, obscuritatem & ruborem eorum tollit. *Pica glandaria* habet ad alarum latera transversales notas cæruleas, quales in nullo fere alio volucrum genere conspicies; hiatus oris tam magnum, ut castaneas deglutiat. *Pica Brasilica* rostrum duos palmos longum obtinet, unum fere latum, ab inferioris partis initio ad superioris extremitatem dimensum. Substantia ejus est tenuissima ad instar membranæ, sed ossea, splendida, cava, auris instar capacissima: est etiam serratum & velut squamulis quibusdam compactum. Pipere vescitur, sed mox incoctum & crudum ejicit.

CAPUT XXIX.  
DE PAVONE.

**P**Avones olim in Europa rari. Hinc cum apud Indos Alexander vidisset, sub pœna capitis occidit prohibuit. At post Athenæi ævo ita abundabant, ut vel coturnicibus nihilo rariore essent. In Temistana terra viginti, imo triginta aliquando parient ova. *Martyr.* Mundiciem ita amant, ut, si dum pulli sunt madefiant, moriantur. *Albert.* Cum refrigeratione ipsius opus est, tum passis pennis & in anteriorem reflexis ex sese suum operiunt corpus, atque ita caloris vim propulsant: sin à tergo ventus spirat, alas paulatim pandunt, unde ab interspirante vento refrigerantur. Agnoscere dicuntur venenosi medicamenti apparatus, ad locumque ubi tales parantur insidiæ accurrere & proclamare. *Alianus* refert, Pavonem, fascini naturale velut amuletum, lini inquirere radicem, & sub alarum altera retrusum gestare. Patitur languores quibus infantes torqueri solent, quibus primum dentes erumpunt, estque magnum illis periculum cum primum crista produci incipit. *Pallad. lib. 1. de re rustica cap. 28.* Vocem noctu clangosam ingeminantes subinde, pluviam jam jam imminentes significant.

ficant. Causa adfertur, quod vocis illius obstrepere congeminationo, acutum intus cum calore vocalem spiritum, per arteriam vaporoso aëre imbutam, erumpere testetur. *Mezald.* Caro putredinem non facile capit. Post annum nihil offendit olfactum, nisi quod aliquanto siccioris ostendatur corpulentia. *Antonius Gigas* frustum anno 1592. coctæ, anno 1598 donavit *Aldrovando*, foraminibus rotundis cribri modo pervium, ex quibus, si leviter quateretur, pulvis exidebat; non aliter, ac ex quibusdam arboribus caries. Saporis salsi & subamari erat. *Aldrovand.*

## CAPUT XXX.

DE PHASIANO  
& PASSERE.

**I**N Curiana regione tam numerose capiuntur Phasiani, ut duabus aciculis singulos Christianis eo venientibus vendant. *Martyr. l. 8. Decad.* Fridericus Dux Saxoniae ducentos per Saxoniam emissos capi vetuit. In Scandinaviae locis sine cibo sub nive latitant. *Olaus.* Pennas dum pinguescunt, amittunt. *Passer* Accipitrem tantopere horret, ut imperitus in Xenocratis devolarit sinum. Libidinosissimus fere est omnium avium. Dimidiae enim horae spacio vigesies compressisse feminam visus est. *Scalig.* Venenosa devorat semina citra detrimentum, id vero exilitati venarum adscribitur à quibusdam. Herba, cujus nomen est ignotum in quatuor segetis defossa angulis, à frumento abigi scripsit *Plin.* Alii rubetam noctu arvo circumferri jubent, priusquam seretur, & vase fictili in medio defodi inclusam: sed ne amarescant segetes, ante messem erui debet. Taprobanenses dum in alto sunt mari, passerem, quos ad id ferunt, emittunt, illorumque ductu, magnetis usus ignari, ad propria facile revertuntur. *Acosta.* Mirum est, quod de passere vitulino qui juxta Mexicum dicitur. Ape magna haud major est; pluma tenuissima vestitur, rostro longo & gra-